

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LII. Argumentum. Discutitur curiosus casus, An mulier Hebræa gravida fugiens è stabulo Judæorum ob desiderium fidei Christianæ, & interempta à Judæo eam insequente, salva sit unà cum prole, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

lib. 5. cap. 2. Quædam fuit mulier experta duo, & viginti Matrimonia. Cæd. Rhodigin lib. 14. cap. 8. Variis temporibus viſæ ſunt Mulieres Barbata. Licetus d. lib. 2. cap. 55. Scottus in *Phyſic. Cur. lib. 3. cap. 32. §. 2.* ubi narrat miraculum S. Liberatæ, alias *Uvilgeſortis* filia Regis Portugaliz, cujus eximia pulchritudine accenſus Pater, eam in uxorem ſibi copulare volebat, & deficiente quocunque humano auxilio, ad reprimendum carnalem, & mox inceſtuoſum futurum Patrem, & Maritum, recurrit ipſa ad Deum orans, ut à ſe pulchritudinem auferret, quod obtinuit. Barba enim hiſpida, & proluxa mentum illius, genæque contexit undique. *Martyrol. Rom. 20. Julii.* Alia Virgo pulcherrima Abulenſis nomine Paula, ut à violente Amaliſio eam inſequentem liberaretur, ingreſſa Oratorium S. Laurentii petiit Divinam opem. En ſtatim oſitur in ejus maxillis, ac mento hiſpida Barba, ſicque ejus mutatur aſpectus, ut à laſcivo ibi intrante non cognosceretur; & inde intacta diſcederet, & Dei ſervitio incolumis ſe manciparet. Ita Hier. à Baſilicæ petri in *Ephemerid. Sacris. die 20. Februarii pag. 420.* Alia mulieres evaſerunt in litteris erudiſſimæ. *Amphiclaa* ſub Plotino Magiſtro. *Aſſypotea* diſcipula Platonis. *Cheubolina* filia unius de ſeptem Græciæ ſapientibus. *Cornelia* Africani uxor, & Mater Græchorum. *Damones* Pythagoræ filia. *Zenobia* Regina Palmirenotum. S. *Catharina Virgo, & Martyr*, & alia plurimæ, quas coacervat Scottus d. §. 3. Item *Laura Peronenſis*, quæ verſus Sapphicos compoſuit, Epistoſas, & Orationes, græco, atque latino Idiome ſcripſit. *Cassandra Fidelis* doctiſſima, quæ publicam in hac Urbe Patavina diſputatione edidit; & pulchrè verſus Lyricos compoſuit. Accedit *Oliva Sabucho* Hiſpana celebris in Medicina, de qua Leonardus à Capua *Diſc.* 31. pag. 31. Alias refert Scottus ubi ſuprà, quibus omnibus præeminet *Helena Cornelia* Nobilis Veneta hiſce diebus, omnibus ſcientiis, & linguis præfulgens, Doctorali Laureâ in noſtro Archigymnaſio Philoſophorum Patavino inſignita, & Angelicis moribus ornata. Subſequentur mulieres bellica fortitudine illuſtres tam antiquis, quàm modernis temporibus; ſed illis relictis laus noſtra tendat in illas, quæ hic Patavii præcipuè de familiis nobilibus Deum timent, Sacramenta Eccleſiæ frequentant, à mundanis ornatibus aſtinent, & Doctrinam Chriſtianam teneriſſimo aſpectu filiolas pauperes edocent; quia de his rectè dictum eſt: *Mulier timens Deum ipſa laudabitur. Prov. 31. Et Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam; & mandata Dei in Corde mulieris Sanctæ. Eccl. 26.* Quia aliarum mulierum ſapientia, ac cœleſti doctrina coruſcantium noſitiam habere cupit, legat ſcripturam R. P. M. Hier. Gratiani Carmelitæ Diſcalceati poſitam in fine operum S. Tereliæ, poſt *Sententiarium ejusdem Sanctæ. pag. mihi 308. & 309.* ubi plurium doctiſſimarum Mulierum relationem facit.

Porro propriiſſimè inter Monſtra referendæ veniunt Mulieres illæ vaſæ, & vitioſæ, de quibus exempla adducit Barboſa in *Votis Conſultivis tom. 1. lib. 2. Voto XLX. num. 49. & 50.* ibi à ſtudioſis legenda. Prout etiam Mulieres illæ, quæ in Regione Mengrelia (quæ eſt antiqua Colchis) anno 1614. audiebant Sacramentalium Confeſſiones, & alia Sacramenta Eccleſiæ miniſtrabant, ut noviffimè notat Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Epiſcopus Baptagiſinus in ſuis aureis Annalibus *Sacerdotis, & Imperii d. Anno 1614. num. 28. pag. 243.*

Revertamur modò ad reſolutionem noſtri caſus
Doct. Clericati Tom. 1. Lib. 1.

conſcientiæ; in quo quaeritur, *Quid agendum à Parrocho, dum vocatur ad baptizandum Monſtrum?* Nam pro reſolutione dantur Sequentes Regulae.

Prima. Quando certò conſtat, monſtrum ſub humana forma, quantumvis monſtroſa, eſſe præditum anima rationali, baptizari poteſt, ac debet, etiamſi conceptum fuiſſet ex muliere ſuccuba, & dæmone incubo, eſt enim capax gratiæ baptiſmalis, & peccato originali ſædatur.

Secunda. Si dubitatur, an præditum ſit Monſtrum anima rationali, baptizari poteſt ſub conditione. *Si es homo, ego te baptizo, &c.*

Tertia. Quando Monſtrum eſt bicorpor, & ſunt duo capita, vel duo peſtora, duplici baptiſmo eſt opus, ſi æqualia ſint; quòd ſi unum caput eſſet inferius, ſuper eo ſub conditione fiat baptiſmus.

Quarta. Tutiſſe eſt in prædicto caſu facere duo baptiſmata ſeparata, quàm unico baptiſmate Monſtrum bicorpor ablueri.

Quinta. Androgyni, ſeu Hermaphrodita abſque dubio baptizandi ſunt.

Sexta. Pariter ſunt baptiſmo digni, naſcentes cum monſtroſitate in aliqua parte corporis, nempe caudati, aurici, aſtoni, brachiſtoni, elingues, & monoculi.

Septima. De Acephalis major eſt difficultas; ideò conſulendi Medici, & obſervandi motus, & ſigna ad dignoſcendum, an inſit Anima rationalis.

Oſtava. Monſtra in corpore humano habentia caput belluinū ſunt veri homines, & ideò baptizanda; ut diximus de *Cynocephalis dub. 5.* Et ſi dubium ſit de anima rationali, baptiſmus detur ſub conditione.

Nona. Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, Satyri, Tritones, Nereides, Sirenes, & ſimilia antropomorpha monſtra non veniunt baptizanda; niſi facta adulta talia ſigna darent intellectus, & rationis, ut animam rationalem poſſidere crederentur, quo caſu ſub conditione poſſent baptizari.

Decima. Partus effuſi à beſtia copulata cum viro; vel à muliere copulata cum beſtia, juxta ſententiam Scotti, non ſunt baptizandi, quia in utroque caſu ob diverſitatem ſeminis homo generari non poteſt. Sed quia in *dub. 16.* diximus eſſe valde notandum, quòd mulier compreſſa à beſtia poteſt generare monſtrum ex præcedenti ſemine humano forſan recepto, vel poſt beſtialitatem commiſſam ſtatim recipiendo ex coitu cum viro; ideò etiam in hoc opus eſt multa prudentia in Parochis, ut obſervent, an ſint indicia ſufficientia animæ rationalis in ipſo Monſtro; tunc enim poterunt illud baptizare ſub conditione ex Poſſevin. de *Offic. Curati cap. 6. num. ult.* Gobatto de *Baptiſm. tract. 2. à num. 274. uſque 285.* Laymanno *lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 13.* Maſtrio in *Theolog. Mor. diſp. 17. num. 42.* & ex Scottò in *d. ſua Phyſica lib. 5. in Appendic. cap. 4.* qui, ſi caſus occurrerent, eſſet conſulendus, præter alios Moralistas, & Rituale Romanum in *Rubric. de Baptiſmo*; quibus addo Eminentiff. Cardin. de Lauræa de *Baptiſmo diſp. 15. num. 42.*

DECISIO LII.

ARGUMENTUM.

Diſcutitur curioſus caſus; An Mulier Hæbreâ gravida fugiens è ſtabulo Judæorum ob deſiderium fidei Chriſtianæ, & interempta à Judæo eam inſequentem, ſalva ſit unâ cum prole, & tradenda Eccleſiaſticæ Sepulturæ? *Hiſtoriæ, & exempla de odio Judæorum in Chriſtianos.*

L 2

S U M.

SUMMARIUM.

- 1 Volitionis, ac Nolationis quale sit neutrum?
- 2 Fides ore consistenda, non solo corde tenenda.
- 3 Occisi in odium fidei sunt Martyres baptizati in eorum sanguine.
- 4 Voluntatis vera signa qua sint?
- 5 Judei idem agere student cum Christianis, ac Diabolus cum maleficis.
- 6 Judei cujusdam Votum occidendi octo Christianos.
- 7 Confessio fidei fieri potest voce, scripto, facto.

Corollarii loco pro conclusione tractatus Sacramenti Baptismi, venit discutiendus sequens ultimus Casus. *Hebraeam Mulierem gravidam, fidei Christiana cupidam, è stabulo Judaeorum ausugientem, perfidus Sabbatharius insequitur, & stylo ferreo percussam interimit. Queritur, an sit habenda tanquam baptizata? & ipsi, ac factus debeatur Ecclesiastica Sepultura?*

Disputationis gratia nonnulli dixerunt, utrumque posse negari: Nam *Primo* hæc mulier hebræa, cupida fidei Christianæ, non videtur habuisse absolutam voluntatem, sed tale quale desiderium fidei Christianæ; quod est quid neutrum inter volitionem, & nolationem. Sed qui nec consentit, nec dissentit, & neutro modo se habet, atque est adultus, non est capax Sacramenti. Scottus in 4. d. 4. q. 4. l. Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 4. Sent. tom. 1. de Sacrament. in genere disp. 11. num. 22. Ergo prædicta mulier non erit habenda tanquam baptizata, & per consequens neque ipsi, neque tertiandanda erit Ecclesiastica Sepultura. *Secundo*, & quando etiam hæc mulier habuisset in corde suo absolutam voluntatem fidei Christianæ, necesse erat, ut eam ore confiteretur, & explicite peteret baptismum; nam, ut ait Apostolus ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ubi Glossa interlinearis, Ore, ait, post cordis fidem, alias non valet: nam paulo ante dixerat, si confitearis Dominum Jesum Christum, & in corde credideris, salvus eris. Hinc Theodoretus super eod. cap. 10. ad Rom. scripsit? Utrisque enim opus est, & Fide vera, ac firma: confessione libera, ut coronetur fidei certitudo. Lingua clara, insignisque reddatur, audacter veritatem prædicans. Sed hebræa ipsa nullam externam confessionem fidei fecit; quam si habuit in corde, occultam retinuit; & potuit aufugere è stabulo Judaeorum etiam ex causa humana, puta ex malis tractamentis sibi factis è marito sabbathario. Ergo neque habenda, ut Christiana, neque concedenda Ecclesiastica Sepultura.

In contrarium tamen stat Veritas; nam & ipsa Mulier, & infans in ejus utero existens baptizati sunt baptismo Sanguinis, & dicuntur Martyres, quia in odium fidei fuerunt à perfido sabbathario interempti. S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad Primum Sylvest. in Verb. Baptismus 1. num. 2. ex Paludan. & aliis. Cardin. Tol. lib. 2. cap. 22. num. 7. Anton Volpi in Resolut. Moralib. Verb. Baptismus resol. 3. n. 3. Narbonade Aetate quest. 2. n. 19. & ideo per Martyrium deletum est peccatum originale à Matre, & ejus prole; nec non actualia ab ipsa Matre; idem remissa omnis poena, & animabus earum apertus Paradisus, ut probavimus supra Decis. XXVII. n. 8. de quatuor gradibus Martyrii ex doctrina Valquez. tom. 2. in 3. p. disput. 153. cap. 7. Maltrii in Theo-

log. Moral. disput. 17. num. 7. & Gobati de Baptismo tract. 2. num. 612. Et ideo absque dubio prædicta Hebræa haberi debet tanquam verè baptizata, una cum infante, baptismo Sanguinis, Bonacina de Sacram. disput. 2. quest. 1. punct. 1. propos. 2. per totam. Fernandez part. 3. cap. 2. §. 1. num. 1. & 4. Victor. in addit. ad Tol. lib. 2. cap. 18. litter. F. & cæteris magis eruditè Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Baptismo disput. 13. à num. 48. & seqq. ubi auctoritates plurimæ Sanctorum Patrum, & illud Evangelii Marc. 8. Qui perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam. Imò Sylvest. d. Ver. Baptismus 1. num. 2. tenet, quòd etiam si Mater ex violentia sabbatharii non moretur, sed tantummodo infans periret per abortum, esset Martyr, baptizatus baptismo Sanguinis, tanquam devivens in odium fidei; quod est notatu valde dignum.

Neque subsistunt motiva considerata in contrarium, quæ facile resolvuntur: *Primum* enim, quòd non habuerit absolutam voluntatem, sed tale quale desiderium, quasi quid medium inter volitionem, & nolationem; est omnino falsum; nam si ejus desiderium fuisset inefficax; & se habuisset neutro modo, neque consentiens, neque dissentiens non ausugisset è stabulo Judaeorum; quæ quidem fuga denotat absolutam voluntatē recipiendi Baptismi, & profitēdi fidē Christianam; nam Voluntas volens, seu intendens finem aliquem efficaciter, cognoscitur ex volitione mediorum, quæ sunt necessaria ad consequendum illum finem. Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacrament. in genere disput. 3. num. 42. Sed inter media necessaria pro obtinendo baptismo, & profitenda fide Christiana in hac muliere Hebræa unum principale est fugere è manibus Judaeorum, & relinquere omnia, quæ possidet, ut sequatur Christum; quandoquidem si quis ex Judæis cognoscatur ab ipsis propensus ad Christianam fidem, ita vinculis mancipatur, & arctæ custodiæ includitur ut neminem viventium possit amplius videre, aut alloqui; ut mihi retulerunt Neophyti ab Eminentissimo Nostro Prasule unda salutari regenerati; & notat Julius Maurocenus Venerus, olim Rabbini, nunc fidelissimus Christianus in suo opere Via della fede monstrata à gl' Hebrei Impressio Typis Romæ anno 1683. in quo opere part. 3. cap. 12. agit de Odio Hebræorum erga nos Christianos, & advertit, ex præceptis libri Talmud, & documentis Rabbinarum, Judæos teneri in nihilo nos Christianos juvare; imò si nos in aliquo periculo vitæ reperirent, obligatos esse, impetum facere, & nosmet in præcipitum impellere, subdēns lepidam similitudinem; videlicet, Sabbatharios agere nobiscum eodem modo, quo dæmones se gerunt cum Strygibus, & maleficis, quibus servitute quidem præstant, famulantur, res gratas subministrant; at semper in corde intendunt ruinam, & damnationem eorundem Maleficorum, atque Strygum. Ita faciunt Judæi: obsequuntur Christianis exterius, sed interius semper capiunt interitum, & ruinam nostram. Narravit mihi Vir nobilis, Judæum quemdam Ferrariæ ob infirmitatem vovisse, si sanaretur, occidere octo Christianos. Factus sanus cepit impium votum adimplere. Sed antequam ad octavum homicidium perveniret, denunciatus, captus, confessus impietatem suam, fuit in furca suspensus. Et quia stantem in scala furcarum alius Judæus manu elata, illum ad moriendum in Judaismo confortatus

fortatus est, Cardinalis Legatus hunc alium Judæum denunciatum carceri mancipare fecit, & decem millibus Scurorum multavit, quibus Campanile Ecclesiæ Cathedralis restauratum fuit. Ergo prædicta Mulier Hebræa habuit absolutam voluntatem baptismi; cuius causa cum fuerit Stylo ferreo interempta, dicitur Martyr; & baptismo Sanguinis baptizata. Emin. Cardin. de Lauræa de Baptismo disp. 13. num. 49. & per consequens tam Matri, quam foris debetur Ecclesiastica Sepultura. Idem Eminen. Cardin. de Lauræa in tract. de Martyrio disp. 20. n. 311. Sylvester, Volpi, Narbona, & alii supra citati.

Secundum motivum contrarium pariter non subsistit: quod scilicet hæc mulier non fuerit explicitè confessa fidem Christianam, & non petierit baptismum. Nam respondetur, Confessionem fidei Christianæ, & petitionem baptismi tripliciter fieri posse, voce, scripto, & facto. Eminent. Card. de

Lauræa de fide in 3. Sent. p. 2. disp. 11. n. 4. & seqq. ubi n. 11. subdit inter alia facta, quibus confitemur fidem Catholicam, & baptismum petimus, præcipuum esse mortem subire, prout plerique Sancti Martyres fecerunt, juxta illud, quod Apostolus scribit ad Hebr. cap. 11. Sancti per fidem operati sunt justitiam &c. Lapidati sunt, scissi sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Cum igitur hæc Hebræa mulier subierit mortem sibi illatam in odium fidei à per fido Judæo, eò quia aufugerit ex ejus stabulo cupida fidei Christianæ, censetur sufficienter confessa ipsam fidem, tolerando mortem, & sanguinem fundendo, in quo fuit baptizata in terris, & in cælis, sorte felicissima una cum suo infante coronata. De odio, & perfidia Judæorum in Christianos legantur exempla apud Joan. Baptist. Mathæol. in Sylva Histor. part. 1. lib. 2. cap. 1. tit. 7. ultra supradictum cap. 12. part. 3. Julii Mauroceni in ejus libro: Via della Fede monstrata à gl' Hebrei.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DECISIO LIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur diversa nomina, quibus nuncupatur Sacramentum Confirmationis. Traditur ejus existentia, institutio, & definitio. Notantur variae manuum impositiones, ac Unctiones Sacrae in Ecclesia.

SUMMARIUM.

- 1 Confirmationis Sacramenti nomina plura. Et quæ?
- 2 Manuum impositio multiplex in Scriptura Sacra. Et quæ?
- 3 Hæretici qui negarunt Sacramentum Confirmationis.
- 4 Existentia Sacramenti Confirmationis.
- 5 Ejus institutio quando facta?
- 6 Christum cur consecraretur in feria Quinta Cena Domini?
- 7 Definitio Sacramenti Confirmationis duplex.
- 8 Unctiones Sacrae in Ecclesia decem. Et quæ?

Nunc accedamus ad explicationem Sacramenti Confirmationis, quod olim dabatur statim post Baptismum, & nunc dari non potest nisi iis, qui sunt baptizati. Itaque in primis, & ante omnia videamus, Quid sit Sacramentum Confirmationis? Pro intelligentia studiosi à Clero præmiserunt: Confirmationis Sacramentum pluribus nominibus nuncupari per SS. Patres; nam à S. Clemente vocatur Confessionis Confirmatio. A S. Cornelio Papa Sigillum Domini. A S. Cypriano Signaculum Domini. A S. Dionisio Areopagita. *σφραγίς* id est, Persepio. A D. Ambrosio Signaculum Spirituale. A Græcis *μυστήριον*, id est Unctio, quam dictionem Arabes corrupte *Mairum*; Melitenses verò Magis ad græcam dictionem accedentes *Miru* appellant; propriè autem dicitur *Χρίσμα* à nomine Christi, id est Unctus, quia Sacerdotes, & Reges ungebantur, ipse autem fortitus est utramque Unctionem in primo instan-

ti suæ Sacratissimæ Incarnationis, id est Summum Sacerdotium, & Imperium absque fine; & nunc fideles omnes unctione Chrismatis consecrantur, quia membra sunt æterni Sacerdotis, & Regis. cap. Cum venisset. §. Quia verò. De Sac. Unct. Sed observat Magrus in Hierolex. Verb. Christum quod à S. Augustino vocatur Manus impositio, juxta illud Apostolorum: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Act. 8. 17. Porro manus impositio fiebat in Scriptura ad diversos effectus, videlicet vel ad expellendas infirmitates: Super agros manus imponebant, & bene habebant Marc. ult. 18. ad Exemplum cælestis Medici, qui singulis manus imponens curabat eos. Luc. 4. 48. vel ad dandam benedictionem; sic Jacob benedicturus duos filios Joseph extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natus erat. Gen. 48. 14. & Redemptori nostro oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Matth. 19. 13. id est, ut eos benediceret, ut ex S. Hieron. & Ansel. notat Gonet tom. 5. disp. 6. n. 17. Vel ad designandos, qui Arcæ Domini servirent, ponent filii Israel manus super eos. Num. 8. 10. Vel ad testificandum alicujus delictum, ut luxuriosi senes fecerunt cum pudica Susanna, deducta in judicium coram populo; qui posuerunt manus suas super caput ejus. Dan. 13. 34. Vel ad collocationem ordinum deliquandam, ut agebat Apostolus ad discipulum suum: Noli negligere gratiam, quæ in te est; quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri. 1. Tim. 4. 14. Undè formidandum monitum ad omnes Episcopos, quod idem Apostolus dedit ad eundem Timotheum: Manus citò nemini imposueris. 1. Tim. 5. 22. Vel ad reconciliandos peccatores, aut hæreticos revertentes ad Ecclesiam. Emin. Cardin. de Lauræa de Sacram. Confir. disp. 2. num. 113. & per antonomasiam Impositio manuum significat Sacramentum Confirmationis, per quod nunc datur invisibiliter Spiritus Sanctus, qui tempore Apostolorum per eorum manuum impositionem dabatur visibiliter; & dicitur Confirmatio ab effectu, quia confirmat baptizatum ad confitendum cum constantia fidem Christi. Pax Jordan. lib. 3. tit. 2. n. 1. Gobat. in Experim.